



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De viduis, vt nullus eas velare attentet. xxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

huius constitutionis normæ contumaciter transgressor extiterit, scilicet vt aliquas viduas velare præsumat, quia hoc & episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis statutum est, vt si quis hoc facere tentauerit, tanquam transgressor canonum damnetur.

Quòd viduæ sub nulla benedictione sint velandæ.

Caput XXXIIII.

NAm de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latius duximus differendum. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerunt, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare. Sicut enim si se forsitan continere non poterant secuudum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur, sic habita secum deliberatione, ipsam Deo pudicitia fidei debuerunt custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus iniicere, sed solas adhortationes præmii sempiterni, pœnasq; proponere diuini iudicii, vt nostra sit absoluta cōscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum quippe est, quòd de earum moribus, actibusque beatus Paulus testatur apostolus, quòd planius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

Ex decret.

Gelasii

papa. ca.

21.

De viduis quæ semel sacrae conuersationis velamen suscipiunt.

Cap. XXXV.

Vidua quæ spontanea voluntate ab altari, sacrae conuersationis velamen suscipiunt, decreuit sancta synodus, in eodem proposito eas permanere. Non enim fas esse decernimus, vt postquam se domino semel sub velo consecrauerint, & inter velatas oblationes fecerint, iterum ei concedi spiritui sancto mentiri.

Ex concilio

Aurelian.

cap. 3.

De viduis, vt nullus eas velare attentet.

Caput XXXVI.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis Gelasii, capitulo XIII. quod nec autoritas diuina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professæ, vt in eiusdem Gelasii capitulo XXI. legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo: quia sicut secundum

Ex concilio

Mogunti.

cap. 6.

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitiae Deo debet custodire. Nos autem, auctoritate patrum suffulti, in hoc sacro conuētu sancimus, & liberè iudicamus, si sponte velamen, quamuis non cōsecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblatione Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniae habitum vltimè habere debet, licet sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imposuisse, vt iterum possit deponere.

De nobilibus fœminis quæ postquam velatæ fuerint, domi in deliciis residere delectantur.

Caput XXXVII.

Ex cōcil. apud Aquisgrā. Ludouico pio præsentate. cap. 6. **D**E nobilibus fœminis quæ amissis viris repente relinquantur, & in propriis domibus diuersas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conuentibus coram serenitate vestra iam dudum vtiliter & definitum est, maiori solertique studio admonendas, instruendas ab episcopis statuimus, quatenus suæ salutem consulant, ne sic indiscretè viuendo, & propria noxiarum libertate vtendo, & per diuersa vagando, periculum animarum suarum incurrant, semper illud apostolicum amantissimos oculos habentes, quo dicitur, Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.

De his qui velatas & Deo consecratas in coniugium duxerint. Cap. XXXVIII.

Ex cōcil. Aureliæ. cap. 23. **S**I quis sacro velamine consecratam & in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incestuosa & sacrilegaque miscuerit, vt in cōstitutis Gelasij papæ cap. XX. legitur, protinus aequū est à sacra cōmunione detrudi, & nisi per publicā probatāq; pœnitentiā omnino non recipi. Si tamē pœnituerint, trāsēuntibus de seculo, viuere non negetur. In Chalce donensi cōcilio, cap. XVI. hoc peccato peccato petrantibus excōmunicantur. Confitentibus auctoritate episcopi misericordia largitur. In epistola Syricij papæ, cap. VI. velatæ & Deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilega contagione se miscuerint, & illicitis complexibus publicè & liberè filios procreauerint, has nuptias detestabiles à monasteriorum cœtu, & Eccle-